

prophetarum, videlicet Chronotaxis Prophetarum, et Regum *Juda et Israel*, quod vero *Linea* dicitur, *Lectionarium* est non modo Prophetarum, sed etiam Evangeliorum et Epistolarum Officii facri de Tempore per annum, notatis simul Evangelistarum concordantiis.

Thecam anticam Codicis interne vestit Membrana continens Instrumentum a Notario *Nicolao nato Job. Ermoldi clerico Bremensi* confectum *vordis 1338.* quo testatur, *Henricum dictum Swachusen rectorem capelle pallacij Archiep. Bremens. opidi Staden.* coram se et testibus *frederico odilie Buccen Clerico dicto de domo Sancti Ansharii et Willelmo de Essen* recitasse Literas datas *1335.* *Buxtehude a Johanne rectore ecclesie in Osta* ejusd. Dioec. coram testibus *Job. de Bileulde thesaurario Hamburg. Bertoldo de Cesterulete Milite ac bermanno capellano ibidem,* quibus negat suas esse alias Literas, quarum occasione *Johannes de Hoya presbiter Bremens. Ericum Electum Hildensem. et Prepositum Hamburgensem cum nonnullis alijs Honorabilibus viris excommunicatum fecit in nonnullis Ecclesijs publice nunciari.* Atque hoc quidem Instrumentum integrum est; at quod thecam posticam vestit, multum mutilatum. Patet agi de Appellatione Proconsulum et Consulium *Hamburgensium* ad Sedem Apostolicam contra Interdictum *Erici Praepositi et Capituli ejusdem Civitatis. Anni,* qui exprimuntur,

sunt *1336.* et *38.* Notarii vero nomen *Hinricus dictus vincke Raccenburg.* *Dyoc.*

CXIV.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. R. 2093
Folior. 176. f. primum lineis longis, dein per duas columnas exaratus, rubroque distinctus inscribitur I. *Distinctiones magistri alani.* Mirum, quam diversis Titulis Opus istud *ἀνευδοτοῦ* per Codices feratur; legas enim *Summam Quot Modis, Oculum S. Scripturae, Compendium utriusque Testamenti, Oraculum S. Scripturae, Tractatum de diversis Vocabulorum Significationibus.* Ita jure suo sibi videbantur agere Librarii, quando Autores lucubrationes suas propriis designare nominibus neglexissent. De *Alano* saepius dixi, extatque Dissertatio peculiaris *Oudini T. II. col. 1388.* Praesentis Operis Dicitio ad *Hermengaldum dei gratia S. Egidij Abbatem,* quae incipit: *Cum mundus diuersis olim prudentum floreret uirtutibus &c. frivolis argutiis scatet.* Paullo maturior Prologus, in quo propositum sibi esse dicit: *theologicorum verborum significationes distinguere, metaphorarum rationes assignare, occultas troporum positiones in lucem reducere, ut liberior ad Sacram paginam pandatur introitus.* Id quod deinceps ordine Alphabeti exequitur incipiendo ab *Anima, Animale, Animal, Aqua, Abissus &c.* et in *Zyma, Zyzania, Zona, Zelare* terminando. Qua methodo Antiquiores plures inde
ab

ab *Eucherio, Isidoro &c.* vel hisce Commentariis relati elaborare.

II. fol. 133. sequitur prolixa Meditatio in Salutationem angelicam usque ad illa verba: *Sancta Maria Mater Dei &c.* quae in alio Codice hoc Vol. relato inscripta est *Speculum gloriose virginis Marie*, et *Bonaventuram* autorem habet, ut patet Edit. *Opp. Lugd.* 1668. T. VI. p. 428. f. Initium est: *Quoniam ut ait Jeronimus nulli dubium est quin totum ad dei gloriam pertineat, quidquid digne genitrici eius impensum fuerit &c.* Extrema sunt: *Adiuua nos o dulcissima ut sine fine nobis concedat dulcedine sua frui ille liberalissimus communicator sui benedictus fructus ventris, qui est benedictus &c.* quibus accedit Index rerum alphabeticus.

Praetexta est Codici Membrana germ. qua *Frick Schellang Campidunensis* et *Mark Schellang Memminganus* Civis Fratres et Patroni (*Lebenberren*) Praebendae in Hospitali Memming. (*in der Siechstuben in dem Spital*) obligant *Joh. Mosham* Capellanum ad pendendum censum annuum (*Hauptzins vnd Vellzins, ain pfund baller.*) Data an dem Montag nach dem Sonntag als man Singet Oculi in der vasten. Nach Cristi gepurt vierzebenhundert Jar vnd In dem ain vnd driffzigsten Jare.

Amen solamen sit sanctus spiritus Amen.

CXV.

Codex membraneus lat. Sec. R. 2290 XIV. Folior. 299. f. per duas columnas luculente scriptus, rubricisque enotatus haec praefert in anteriore Theca: *Hunc librum testatus est Monasterio sancte dorothee* (Canon. Reg. Viennae) *dominus Nicolaus plebanus in Veteldarf* (nunc *Hüteldorf* pagus urbi vicinus) *in quo continetur expositio moralis Magistri nicolai de lira super prima parte veteris testamenti, scilicet a pentateuco vsque post iob et psalterium Davidis incliti.* Igitur Prologus hoc initio: *Uidi in dextra sedentis super thronum &c.* Ait in eo celebrer hic O. M. Scriptor versus finem: *Postquam autem sacram scripturam cum Dei adiutorio exposui secundum literalem sensum et Deus dedit michi spacium uite, confisus Dei auxilio propono eam iterum exponere secundum sensum mysticum, ubi est mystice exponenda.* Utraque porro Expositio sub Typographiae primordia non semel impressa, conjuncta habetur in *Bibliis Glossatis*, v. g. *Lugduni 1545.* f. Nostra etiam *Moralitatum* titulo fertur. Ita ad calcem: *Explicit prima pars Moralitatum Magistri Nicolay de lyra anno domini M° C° C° LXXXIII. feria sexta ante Dominicam Oculi mei semper.* Et paullo ante:

CXVI.